




**IMAGE EVALUATION
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic
Sciences
Corporation**

23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503

1.5 1.8 2.0 2.2 2.5
2.8 3.2 3.6

**CIHM/ICMH
Microfiche
Series.**

**CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

1.5 1.8 2.0 2.2 2.5
2.8 3.2 3.6

© 1984

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- | | |
|--|--|
| <input type="checkbox"/> Coloured covers/
Couverture de couleur | <input type="checkbox"/> Coloured pages/
Pages de couleur |
| <input type="checkbox"/> Covers damaged/
Couverture endommagée | <input type="checkbox"/> Pages damaged/
Pages endommagées |
| <input type="checkbox"/> Covers restored and/or laminated/
Couverture restaurée et/ou pelliculée | <input type="checkbox"/> Pages restored and/or laminated/
Pages restaurées et/ou pelliculées |
| <input type="checkbox"/> Cover title missing/
Le titre de couverture manque | <input checked="" type="checkbox"/> Pages discoloured, stained or foxed/
Pages décolorées, tachetées ou piquées |
| <input type="checkbox"/> Coloured maps/
Cartes géographiques en couleur | <input type="checkbox"/> Pages detached/
Pages détachées |
| <input type="checkbox"/> Coloured ink (i.e. other than blue or black)/
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire) | <input checked="" type="checkbox"/> Showthrough/
Transparence |
| <input type="checkbox"/> Coloured plates and/or illustrations/
Planches et/ou illustrations en couleur | <input type="checkbox"/> Quality of print varies/
Qualité inégale de l'impression |
| <input checked="" type="checkbox"/> Bound with other material/
Relié avec d'autres documents | <input type="checkbox"/> Includes supplementary material/
Comprend du matériel supplémentaire |
| <input type="checkbox"/> Tight binding may cause shadows or distortion
along interior margin/
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la
distortion le long de la marge intérieure | <input type="checkbox"/> Only edition available/
Seule édition disponible |
| <input type="checkbox"/> Blank leaves added during restoration may
appear within the text. Whenever possible, these
have been omitted from filming/
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées
lors d'une restauration apparaissent dans le texte,
mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont
pas été filmées. | <input type="checkbox"/> Pages wholly or partially obscured by errata
slips, tissues, etc., have been refilmed to
ensure the best possible image/
Les pages totalement ou partiellement
obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure,
etc., ont été filmées à nouveau de façon à
obtenir la meilleure image possible. |
| <input type="checkbox"/> Additional comments:/
Commentaires supplémentaires: | |

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	14X	18X	22X	26X	30X
<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input checked="" type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>
12X	16X	20X	24X	28X	32X

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



National Library of Canada

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol \rightarrow (meaning "CONTINUED"), or the symbol ∇ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Bibliothèque nationale du Canada

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole \rightarrow signifie "A SUIVRE", le symbole ∇ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

ails
du
odifier
une
mage

rrata
to

pelure,
n à



SUPPLEMENTUM BREVIARII ROMANI QUEBECENSIS.

DOMINICA III. POST PASCHA
IN FESTO SANCTÆ FAMILIÆ
JESU, MARIÆ, JOSEPH.
DUPLEX II. CLASSIS.

AD I. VESPERAS.

*Antiphonæ de Laudibus. Psalmi ut in
Officio B. M. V.*

Capitulum. Gal. 4.

FRATRES, quanto tempore hæres par-
vulus est, nihil differt à servo, cum
sit Dominus omnium: sed sub tutoribus
& actoribus est, usque ad præfinitum
tempus à patre.

Hymnus.

O PAR ingenito, Christe Deus, Patri,
Infans! quem teneris, conjuge cum
sacro,

Mulcet Virgo Parens et colit osculis,

Da cunas propè sistere.

Hic diræ meditans supplicium crucis,

Fletu nostra tuo crimina diluis,

Vagitu misero flectis & æthera:

Pœnas excipis innocens.

Libas purpureum, corpore sanguinem

Exciso, Solymæ fata præoccupas,

Natalique solo non pudet ejici;

Sic ægros, medicus, pias.

Tu, Mater, penetrans, grande sacrarium,

Quid vindex scelerum, quid Deus exigit

Altâ mente vides, jamque tuum, ferox,

Pectus, lancea vulnerat.

Quò te cumque, senex, jussa Dei ferant,

Sponsam cum puero, nec mora, dirigis:

Alto tuque, mones, Christe, silentio
Quid natos decet in patres.

Insudas operi, pauper & indigus,
Templo, qui proceres, Sermo Patris doces;
Tot secreta tegis fronte modestiæ,
Quæsitur, licet arbiter.

Per Christum puerum maxima laus Patri:

Per Matrem, proprio maxima Filio:

Per Sponsum tibi, laus maxima, Spiritus;

Per Tres gloria sit Tribus. Amen.

r. Verbum caro factum est, Alleluia:

x. Et habitavit in nobis, Alleluia.

Ad Magnificat, Antiph.

Joseph, Fili David, noli timere acci-
pere Mariam conjugem tuam, quod enim
in eâ natum est, de Spiritu Sancto est:
pariet autem filium, & vocabis nomen
ejus JESUM. Alleluia.

Oratio.

DEUS qui salutis æternæ, per Sanctis-
simam Familiam Jesu, Mariæ, Jo-
seph, humano generi præmia præstitisti;
tribue, quæsumus, ut in quâ vitæ autho-
rem nobis similem foris agnovimus, per
eam intus reformari mereamur. Per eum-
dem, &c.

*Comm. Sabbati ante Dominicam ter-
tiam post Pascha.*

Ant. Modicum, & non videbitis me,

dicit Dominus; iterum modicum, & videbitis, me, quia vado ad Patrem. Alleluia, alleluia.

r. Mane nobiscum, Domine, alleluia.

r. Quoniam advesperascit, alleluia.

Oratio.

Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis qui christianâ professione censentur, & illa respicere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari: Per Dominum, &c.

AD COMPLETORIUM.

Doxologia. Gloria tibi, Domine, qui natus es de Virgine, &c.

AD MATUTINUM.

Invitorium. Alleluia, Jesum Angelorum Dominum, parentibus subditum. Venite, adoremus. Alleluia.

Hymnus.

Natum piando crimini
Missurus in terras Deus,
Natoque Matrem Virginem,
Sponsurique Matri providet.

Hæc illa mortalis Trias,
Adumbrat æternam, piis
Et æmulans honoribus,
Sanctâ refert concordia.

Edicta Regis exeunt:
Tunc summe rerum Conditor,
Migras, parentum nomine,
Censendus instar subditi.

Sub noctis inclementiâ
Rigente, Natum, frigore,
Stringit puella fasciis;
Joseph adorat Principem.

Præsepe quem tu contines!
Lux fulget: ales gaudia
Labens Olympo nuntiat;
Et Pastor, & currit magus.

Illic Parentes excubant:
Quid non, tacendo, fervidis

Intus sonant affectibus!

Quasi ministrant ordine!

Legate dum cultrum ferens,
Ultrò profundis sanguinem,
Jesum vocant, mox victimam
In templa rite deferunt.

Ægypte, servas hospites,
Reddisque, dum Cælum monet:
Quos, Christe, præsens roboras,
Non sors acerba concutit.

Sit laus Patri, laus Filio,
Sit par, tibi, laus Spiritus
Quem Christus afflabat Puer,
Simul Deus, parentibus. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Antiphona. Maria peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio. Alleluia.

Ps. Domine, Dominus noster.

Ps. Cæli enarrant gloriam Dei.

Ps. Domini est terra & plenitudo ejus.

Antiphona. Maria peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio. Alleluia.

r. Puer natus est nobis, alleluia.

r. Et filius datus est nobis, alleluia.

Pater noster, &c.

Absol. Exaudi, Domine, &c.

Lectio 1.

De Isaiâ Prophetâ. Cap. 7.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: non petam & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parùm vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum; Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. Bu-

tyrum & mel comedet, ut sciat reprobare multum & eligere bonum.

℞. Verbum eorum factum est, & habitavit in nobis. * Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratia & veritatis, alleluia, alleluia.

℣. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. * Et vidimus.

Lectio II.—Isai, Cap. II.

Et egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed judicabit in justitiâ pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.

℞. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph: Ave, Maria, gratiâ plena, Dominus tecum; Ecce concipies & paries Deum pariter & hominem. * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres, alleluia.

℣. Paries quidem filium & virginitatis non patieris detrimentum; efficieris gravida & eris mater semper intacta. * Ut benedicta.

Psalmus III.—Isai, Cap. 62.

Propter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur. Et videbunt gentes Justum tuum, & cuncti reges in-

clytum tuum: & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in eâ, & terra tua inhabitata quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, totâ die & totâ nocte in perpetuum non tacebunt.

℞. Cùm esset desponsata Mater Jesu, Maria, Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto, * Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. † Quod enim in eâ natum est de Spiritu Sancto est, alleluia, alleluia.

℣. Pariet autem filium & vocabis nomen ejus Jesum. * Joseph. Gloria Patri, &c. † Quod enim.

IN II. NOCTURNO.

Antiphona. Postquàm completi sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem parentes ejus, ut sisterent eum Domino. Alleluia

Ps. Eructavit cor meum.

Ps. Deus noster, refugium & virtus.

Ps. Fundamenta ejus.

Antiphona. Postquàm completi sunt dies purgationis Mariæ, tulerunt Jesum in Jerusalem parentes ejus, ut sisterent eum Domino. Alleluia.

℣. Ave, Maria, gratiâ plena, alleluia.

℞. Dominus tecum, alleluia.

Pater noster

Absol. Ipsius pietas, &c.

Lectio iv.
Sermo Sancti Bernardi Abbatis: Homil. i.
In Laud. Virg. Matris.

QUAE est hæc Virgo, tam venerabilis ut salutetur ab Angelo; tam humilis ut disponata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis & humilitatis: nec mediocriter placet Deo illa anima, in quâ & humilitas commendat virginitatem & virginitas exornat humilitatem. Sed quantâ putas veneratione digna est, in quâ humilitatem exaltat fecunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem. Si igitur virginitatem in Mariâ non potes nisi mirari, stude humilitatem imitari & sufficit tibi. Quod si & virgo & humilis est: quisquis es, magnus es. Est tamen majus aliquid quod mireris in Mariâ, scilicet, cum virginitate fecunditas.

z. Quem vidistis, Pastores, dicite, annuntiate nobis in terris quis apparuit! * Natum vidimus, & choros Angelorum, collaudantes Dominum, alleluia, alleluia, alleluia.

v. Dicite quidnam vidistis, & annuntiate Christi nativitatem. * Natum vidimus.

Lectio v.

ASÆCULO enim non est auditum ut aliqua simul mater esset & virgo; quod si & cujus mater attendas, quò te tua super ejus mirabili celsitudine ducet admiratio? Nonne ad hoc ut te videas nec satis posse mirari? Nonne tuo, imò veritatis judicio, illa quæ Deum habuit filium, super omnes etiâ choros exaltabitur Angelorum? Annon Deum & Dominum Angelorum Maria suum audacter appellat filium dicens: Fili, quid fecisti nobis sic? Quis hoc audeat Angelorum? Sufficit eis & pro magno habent, quòd cum sint spiritus ex conditione, ex gratiâ

facti sint & vocati Angeli, testante David: qui facit, inquit, Angelos suos spiritus. Maria verò matrem se agnoscens, Majestatem illam cui illi cum reverentiâ serviunt, cum fiducia suum nuncupat Filium. Nec dedignatur nuncupari Deus, quod esse dignatus est. Nam paulo post subdit Evangelista: & erat, inquit, subditus illis. Quis? quibus? Deus, hominibus. Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Principatus & Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantùm Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam.

z. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum: * Quia cum essem parvula, placui Altissimo & de meis visceribus, genui Deum & hominem, alleluia.

v. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. * Quia cum.

Lectio vi.

Homil. ii. unde suprâ.

ET ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Nec vir ergo matris, nec filii pater extitit, quamvis certâ (ut dictum est) & necessariâ dispensatione utrumque ad tempus & appellatus sit & putatus. Conjice ex hæc appellatione, quâ (licet dispensatoriâ) meruit honorari à Deo, ut Pater Dei & dictus & creditus sit: conjice & ex proprio vocabulo, quod augmentum non dubites interpretari, quis & qualis homo fuerit iste homo Joseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assecutum & gratiam. Non est dubium, quin bonus & fidelis homo fuerit iste Joseph, cui Mater desponsata est Salvatoris. Fidelis, inquam, servus

& prudens, quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidiſſimum.

r. Fidelis servus & prudens; * Quem constituit Dominus suæ Matris solatium, suæ carnis nutritium & solum, in terris, magni consilii coadjutorem fidelissimum, alleluia, alleluia.

v. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus & testamentum suum confirmavit super caput ejus. * Quem constituit. Gloria Patri. * Quem constituit.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens; surge, & accipe puerum & matrem ejus & fuge in Ægyptum. Alleluia.

Ps. Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra.

Ps. Dominus regnavit, exultet terra.

Ps. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit.

Ant. Ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens; surge & accipe puerum & matrem ejus & fuge in Ægyptum. Alleluia.

r. Constituit eum Dominum domus suæ. Alleluia.

r. Et principem omnis possessionis suæ. Alleluia.—Pater noster.

Absol. A vinculis, &c.

Lectio VII.

Lectio Sancti Evangelii secundum

Lucam. Cap. II.

In illo tempore: Ut perfecerunt (parentes ejus) omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam, in civitatem suam Nazareth. Puer autem crescebat & confortabatur, plenus sapientiâ: &

gratia Dei erat in illo. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrosii Episcopi,
Cap. II in Luc.

Duæ sunt in Christo generationes: una est paterna, materna altera. Paterna illa diviniore; materna verò quæ in nostrum laborem, usumque descendit. Et idè quæ suprâ naturam, suprâ ætatem, suprâ consuetudinem fiunt, non humanis assignanda virtutibus, sed divinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad ministerium mater impellit, hęc mater arguitur, quia adhuc, quæ humana sunt, exigit. Sed cùm hęc duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicitur; vides matrem didicisse à Filio ne exigeret à validiore ministerium, quæ stupebat in juniore miraculum.

r. Benedictus qui venit in nomine Domini: Dens Dominus & illuxit nobis. * Alleluia, alleluia.

v. Hęc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in eâ. * Alleluia, alleluia.

Lectio VIII.

Benedictio. Divinum auxilium, &c.

Et venit Nazareth, & erat subditus illis. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis implet? Et miramur si patri defert, qui subditur matri? Non utique infirmitatis, sed pietatis ista subiectio est, attollat licet sævis emissus latebris coluber perfidiæ caput & serpentinis evomat venena pectoribus. Cùm dicit se Filius missum, majorem hæreticus appellet Patrem, ut imperfectum Filium dicat, qui potest habere majorem, ut alienis auxiliis asserat eum qui mittitur indigere; numquid & humano egebat auxilio, ut materno serviret imperio?

r. Ascendit Joseph à Galilæâ, de civi-

tate Nazareth, in Judæam, in civitate David, quæ vocatur Bethleem: * Eo quod esset de domo & familiâ David.

Alleluia. *V.* Ut proficeretur cum Mariâ desponsatâ sibi uxore. * Eo quod. Gloria Patri. * Eo quod.

Lectio (xx).

Benedictio. Rer. Evangelica, &c.
Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. Capi. 16.

In illo tempore; dixit Jesus discipulis suis: Modicum, & jam non videbitis me; & iterum modicum & videbitis me. Et reliqua.

Homilia. Sancti Augustini, Episcopi.

Tract. 101. in Joann.

Modicum est hoc totum spatium quo presens pervolat sæculum: unde dicit idem ipse Evangelista in epistola suâ: novissima hora est. Ideo namque addidit, quia vado ad Patrem, quod ad priorem sententiam referendum est, ubi ait, & iterum modicum et videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat, ut eum non viderent; ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat mortuus, & donec resurgeret, ab eorum conspectibus recessurus; sed quod esset iturus ad Patrem, quod fecit, posteaquam resurrexit, & cum eis per quadraginta dies conversatus, ascendit ad cælum.

Te Deum.

AD LAUDES.

Ant. O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est; & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem. Alleluia.

Ps. Dominus regnavit, decorem induit est. — *Et ceteri de Dominicâ.*

Ant. Ante Luciferum genitus & ante sæcula, Dominus Salvator noster in formâ servi apparuit. Alleluia.

Ant. Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

Ant. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus. Alleluia, alleluia.

Ant. Joseph fidelis, & prudens quem constituit Dominus super familiam suam. Alleluia.

Capitulum. Gal. 4.

FRATRES, quanto tempore, hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre.

HYMNUS.

VERBUM! virgineo te genitum sinu,
Te Christi canimus Virgo puerpera,
Te Joseph, sacram progeniem regens,
cujus diceris & pater.

Regnator rutilo lapsus ab æthere,
Tranquillus superis, quæ penetralibus,
Pacis regna tenet, condere tum venit,
Imis, quas habitat, plagis.

Fortunata domus, quam Deus incolit,
Ac cœlestis amor, fons quoque luminis,
Quam nullis agitât cæcus amor malis,

Nec discordia dividit,
Simplex pauperies hæc decorat domum;
His, & deliciae finibus exulant;
Illic tota Deo gloria perfrui.

Mundum spernere, despici.

O vos, castra Dei, quæ cœlet advolat
Cohors aligerum, laudibus æmulis,
Circum tecta sonans, nubiibus obsequens.

O cœlo domus altior,
Non te servitio legitur eximis,

Non divina negas membra laboribus,
Astrorumque faber sis licet, artifex,
Lignis vilibus incubas.

Sacris verba Dei vatibus edita,
Exercent animos, candida veritas
Implies, Christe; jubar nube, parentibus,
Excussa, patet obvium.

Quæ virtus radiat! quæ sapientia!
Qualis mellifluis gratia vocibus!
Quæ morum gravitas! quam venerabiles
Progressus hominis Dei?

Per Christum puerum maxima laus Patri;
Per matrem, proprio maxima Filio:
Per sponsum, tibi, laus maxima, Spiritus;
Per Tres gloria sit Tribus. Amen.

V. Viderunt omnes fines terræ, alleluia.
R. Salutare Dei nostri, alleluia.
Ad Benedictus. Ant. Puer Jesus crescebat et confortabatur, plenus sapientiâ, et gratia Dei erat in illo et erat subditus illis. Alleluia.

Oratio.

Deus qui salutis æternæ, per Sanctissimam Familiam Jesu, Mariæ, Joseph, humano generi præmia præstitisti, tribue, quesumus, ut in quâ vitæ authorem nobis similem foris agnovimus, per eam intus reformari mereamur. Per eundem, &c.

Comm. Dom. xii. post Pascha.

Ant. Modicum et non videbitis me, dicit Dominus; iterum modicum, et videbitis me quia vado ad Patrem, Alleluia, alleluia.

R. In resurrectione tuâ, Christe, alleluia.
R. Cœli & lætentur, alleluia.

Oratio.

Deus qui errantibus, ut in viam possint redire, justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis qui christianâ professione censentur, & illa respere

quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum &c.

AD PRIMAM.

Ant. O admirabile commercium!

AD TERTIAM.

Ant. Ante luciferum.

Capitulum Gal. 4.

FILIIATRES, quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit Dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est, usque ad præfinitum tempus à patre.

R. Speciosus formâ præ filiis hominum. * Alleluia, alleluia.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis. * Alleluia, alleluia. Gloria Patri, &c.— Speciosus.

V. Notum fecit Dominus, alleluia.

R. Salutare suum, alleluia.

AD SEXTAM.

Ant. Ecce Maria.

Capitulum. Gal. 4.

AT ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, & adoptionem filiorum reciperemus.

R. Benedicta tu in mulieribus. * Alleluia, alleluia. Benedicta.

V. Et benedictus fructus ventris tui. * Alleluia, alleluia. Gloria Patri. Benedicta.

V. Post partum Virgo inviolata permansisti, alleluia.

R. Dei genitrix intercede pro nobis, alleluia.

AD NONAM.

Ant. Joseph.

Capitulum. Gal. 4.

QUONIAM autem estis filii, misit Deus spiritum filii sui in corda vestra, clamantem, Abba Pater. Itaque jam non estis

servus, sed filius: quod si filius & hæres per Deum.

r. Constituit eum Dominum domûs suæ. * Alleluia, alleluia. Constituit.

r. Et principem omnis possessionis suæ, * Alleluia, alleluia. Gloria Patri, &c. Constituit, &c.

r. Gloria & divitiæ in domo ejus, allel.

r. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi, alleluia.

AD II. VESPERAS.

Omnia ut in primis.

r. Adorabunt in conspectu ejus, allel.

r. Universæ Familiæ gentium, alleluia.

Ad Magnificat.

Ant. Propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos Deus, filium suum misit factum ex muliere; ut in ipso benedicerentur omnes familiæ terræ & adoptionem filiorum reciperemus, alleluia, alleluia.

Oratio. Deus qui salutis, &c.

Pro Comm. Domin. III. post Pascha.

Ant. Amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit: vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium, alleluia.

r. Mane nobiscum, Domine, alleluia.

r. Quoniam advesperascit, alleluia.

Oratio.

DEOS, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis; da cunctis qui christianâ professione censentur, & illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum.

DIE XI. APRILIS.

In Festo S. LEONIS Papæ.

In utrisque Vesp. ad Magnificat, Ant. O Doctor. In Missâ, Introitus In medio Ecclesiæ. Epist. de libro Sapientiæ, Jus-

tus cor suum tradet. Post Evang. Credo.

DIE XXI. APRILIS.

In Festo S. ANSELMI.

In utrisque Vesp. Ant. ad Magnificat, O Doctor. In I. Noct. lect. de Comm. Doctorum, Sapientiam. Ad Missam, Credo.

DIE XVII. MAII.

In Festo S. PASCHALIS BAYLON, Confessoris — *Duplex.*

Omnia de Communi. Conf. non Pont. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Paschalem Confessorem tuum mirificâ erga corporis & sanguinis tui sacra mysteria dilectione decorasti, concede propitius, ut quam ille ex hoc divino convivio spiritûs percepit pinguedinem, eandem & nos percipere mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Lectio I. Noct. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

PASCHALIS BAYLON pauperibus piisque parentibus in oppido Turris formosæ, Seguntinæ diocesis in Aragoniâ natus, à teneris annis plura dedit futuræ sanctitatis indicia. Sortitus animam bonam ac rerum cœlestium apprimè studiosam, pueritiam atque adolescentiam in gregis custodiâ transegit: quam ille vivendi rationem idèd præcipuè diligebat, quòd humilitati fovendæ, ac innocentie conservandæ in primis utilem atque opportunam judicaret. Erat in victu modicus, in oratione assiduus, tantæque apud cœvos & socios florebat autoritate & gratiâ, ut eorum lites componens, errores corrigens, ignorantiam erudiens, ac desi-

diam excitans, velut omnium parens & Magister maximo studio coleretur ac amaretur: beatus etiã tũm à plerisque appellatus.

r. Honestum fecit illum Dominus & custodivit eum ab inimicis, & à seducto-ribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. *r.* Justum deduxit Dominus per vias rectas; & ostendit illi regnum Dei. * Et dedit.

Lectio r.

QUI verò in sæculo, terrã nempe deserta & inaquosa, ad eò feliciter adoleverat, flos convallium plantatus in domo Domini, mirum ubique sparsit sanctitatis odorem. Igitur Paschalis, arrepto vitæ scerioris instituto, atque in ordine Minorum strictioris observantiæ discalceatorum cooptatus, exultavit ut gigas ad currendam viam suam, totumque se Domino excolendum tradens, dies noctesque cogitabat quã se ratione magis ei magisque conformaret. Itã factum est brevi, ut eum tanquãm Seraphicæ perfectionis exemplar, ipsi quoque provectiones imitandum sibi proponerent. Ipse autem in humili servientium gradu constitutus, se velut omnium peripsema reputans, ardua quæque & abjecta domũs ministeria, veluti jure quodam peculiari sibi debita; summã cum hilaritate suscipiebat & exercebat humilitate ac patientiã pari. Carnem spiritui quandoque reluctari nitentem jugi maceratione afflictavit, atque in servitutem redegit: spiritum verò assiduã suã abnegatione ferventiorẽ in dies ad interiora extendebat.

r. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas Paradisi coronavit eum. *r.* Induit Dominus lorica fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio. vi.

DEIPARAM Virginem, cujus clientelã se ab incunte ætate dicaverat, tanquã matrem quotidianis colebat obsequiis, atque filiali exorabat fiduciã. Porro erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, difficile dictu est, quã ardenti teneretur devotionis affectu, quem defunctus etiam in cadavere retinere visus est, dũm jacens in feretro, ad sacræ hostiæ elevationem bis oculos reseravit & clausit, magnã omnium qui aderant admiratione. Ejusdem veritatem inter hæreticos publicè palamque professus, multa & gravia ob eam causam perpessus est; crebrò etiã ad necem petitus, sed singulari Dei providentiã impiorum manibus destituebatur sensibus, dulcique languebat amoris deliquio: quo tempore cœlestem illam scientiam hausisse creditus est, quã homo rudis & illiteratus de mysteriis fidei difficillimis respondere, atque aliquot etiã libros conscribere potuit. Denique meritis plenus, eãdem quã prædixerat horã feliciter migravit ad Dominum, anno salutis millesimo, quingentesimo nonagesimo secundo, sexto decimo Kalendas Junii, eodem quo natus fuerat, festo Pentecostes recurrente, annum agens secundum suprã quinquagesimum. Quibus, aliisque virtutibus insignem, ac miraculis tam in vitã, quã post mortem clarum, Paulus quintus Pontifex Maximus illum Beatum appellavit: Alexander autem octavus Sanctorum catalogo adscripsit.

r. Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: ingredi in requiem meam; * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

v. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad caelestia regna. * Quia. Gloria. * Quia.

In III. Noct. Homil. S. Gregorii Papæ in Evangel. Sint lumbi vestri, ut in Comuni Confessoris non Pontificis.

Vesp. à Capitulo de S. Venantio.

DIE XXV. MAII.

In Festo S. GREGORII VII.

Papæ & Conf.—Duplex.

Omnia de Comuni Confessoris Pontificis, præter sequentia.

ORATIO.

DEUS in te sperantium fortitudo, qui Beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem, pro tuendâ Ecclesiæ libertate, virtute constantiæ roborasti: da nobis, ejus exemplo & intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum nostrum.

Deindè fit Commem. S. Urbani Papæ & Martyris.

Ant. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, & æternitas temporum, alleluia.

v. Sancti & Justi in Domino gaudete, alleluia.—*r.* Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluia.

Oratio.

DA, quæsumus, Omnipotens Deus: ut qui Beati Urbani Martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno, Lectiones de Scripturâ occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

GREGORIUS Papa septimus, antea Hildebrandus, Suavæ in Etruriâ natus, doctrinâ, sanctitate omnique virtutum genere cum primis nobilis, mirificè univer-

sam Dei illustravit Ecclesiam. Cùm parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa oraculi, dominabitur à mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine; quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deindè profectus, sub protectione Sancti Petri educatus est. Juvenis Ecclesiæ libertatem à laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementiùs dolens, in Cluniacensi monasterio, ubi sub regulâ Sancti Benedicti austerioris vitæ observantia eo tempore maximè vigeat, monachi habitum induens, tanto pietatis ardore Divinæ majestati deserviebat, ut à sanctis ejusdem cænobii patribus Prior sit electus. Sed divinâ Providentiâ majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum monasterii Sancti Pauli extra muros Urbis electus, ac postmodum Romanæ Ecclesiæ cardinalis creatus, sub summis Pontificibus, Leone nono, Victore secundo, Stephano nono, Nicolao secundo & Alexandro secundo, præcipuis muneribus & legationibus perfunctus est: sanctissimi & purissimi consilii vir à Victore Papâ secundo Legatus à latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum simoniacâ labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam hæresis abjuratorem compulit. Cadolai quoque schisma suâ virtute compressit.

r. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia.

⁂. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus.

Lectio.

MORTUO Alexandro secundo, invitus & mærens unanimes omnium consensu, decimo kalendas maii, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei: nam potens opere & sermone, ecclesiasticæ disciplinæ reparandæ, fidei propagandæ, libertati Ecclesiæ restituendæ, extirpandis erroribus & corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum ætate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesiâ Dei labores, molestiasque pertulerit, aut pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot provincias à Simoniacâ labe expurgavit. Contrâ Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permansit, sequè pro muro domui Israël ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsam, fidelium communiione privavit.

⁂. Posui adjutorium super potentem & exaltavi electum de plebe meâ: * Manus enim mea auxiliabitur ei, alleluia.

⁂. Inveni David servum meum oleo sancto meo unxi eum, * Manus.

Lectio VI.

DUM Missarum solemnities perageret, visa est viris piis columba è cælo delapsa, humero ejus dextro insidens, alis extensis caput ejus velare: quo significatum est, Spiritûs sancti afflatu, non humanæ prudentiæ rationibus ipsum duci in Ecclesiæ regimine. Cùm ab iniqui Henrici exercitu Romæ gravi obsidione præmeretur, excitatum ab hostibus incendium signo Crucis extinxit. De ejus manu tandem à Roberto Guis-

cardo duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit atque indè Salernum ad dedicandum Ecclesiam Sancti Matthæi Apostoli contendit. Cùm aliquandò in eâ civitate sermonem habuisset ad populum, ærumnis confectus in morbum incidit, quo se interitum præscivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi justitiam & odivi iniquitatem; propterea morior in exilio. Innumerabilia sunt quæ vel fortiter sustinuit, vel multis contactis in urbe Synodis sapienter constituit; vir verè sanctus, criminum vindex & acerrimus Ecclesiæ defensor. Exactis itaque in pontificatu annis duodecim, migravit in cælum anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vitâ & post mortem miraculis clarus: ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilicâ Salernitanâ est honorificè conditum.

⁂. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinâ ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum, alleluia.

⁂. Iste est, qui contempsit vitam mundi & pervenit ad cælestia regna. * Ipse. — Gloria Patri. * Ipse.

In III. Nocturno, Homilia in Evang. Vigilare, de eodem Communi Nona lectio de S. Urbano, Vesp. à Capitulo de S. Philippo Nereo.

DIE XXV. JUNII.

In Festo S. GULIELMI Abbatis.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter sequentia.

Oratio.

DEUS, qui infirmitati nostræ ad terendam salutis viam in Sanctis tuis exemplum & præsidium collocasti; de-

par-
s, jam
ejectis
menta
ue ad
manum
gnifica-
mundo
ofectus,
ducatus
à laicis
siastico-
in Clu-
o regulâ
æ obser-
vigebat,
o pietatis
viebat, ut
patribus
Providen-
in salutem
tus Hilde-
sterii Sancti
electus, ac
æ cardina-
ontificibus,
, Stephano
Alexandro
s & legatio-
ssimi & pu-
Papâ secun-
iam missus,
acâ labe in-
ssionem mi-
in Concilio
resis abjura-
uoque schis-
meum, oleo
Manus enim

nobis, ita beati Gulielmi Abbatis merita venerari, ut ejusdem excipiamus suffragia, & vestigia prosequamur. Per Dominum.

In I. Noct. lect. de Script. occur.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

GULIELMUS nobiles parentibus Ver-
cellis in Insubriâ natus, vix quartum
decimum ætatis annum expleverat, cum
miro quodam pietatis ardore flagrans,
Compostellanam peregrinationem ad ce-
leberrimum Sancti Jacobi templum ag-
gressus est. Quod iter unâ amictus tunicâ,
ac duplici ferreo circulo præinctus nudis-
que pedibus prosecutus, asperrimo frigo-
ris & æstûs, famis & sitis, summo cum
vitæ discrimine, perpessus est incommoda.
Reversus in Italiam, novam ad sanctum
Domini sepulchrum peregrinationem mo-
litur; sed quominus propositum exequatur
varia atque gravissima intercedunt
impedimenta divino Numine ad altiora &
sanctiora religiosam juvenis indolem re-
trahente. Porrò in soliculo monte S. Ur-
bano biennium inter assiduas preces, vi-
galias, chameunias & jejunia commoratus,
divinâ subnixus ope, cæco lumen restituit,
cujus miraculi famâ percrebescente, jam
Gulielmus latere non poterat: quare ite-
rum Jerosolymam cogitat, & alacris se
itineri committit.

℞. Honestum fecit illum Dominus, &
custodivit eum ab inimicis, & à seducto-
ribus tutavit illum; * Et dedit illi clari-
tatem æternam. *℣.* Justum deduxit Do-
minus per vias rectas; & ostendit illi
regnum Dei. * Et.

Lectio V.

DEI autem monitu, qui eidem appa-
ruit, à proposito revocatur, utilior

ac fructuosior tam apud Italos, quam
apud exterarum nationes futurus. Tùm
Monasterium in Virgiliani montis cacu-
mine, quod deinde Virginis est appella-
tum, loco aspero & inaccesso mirandâ ex-
ædificat celeritate. Socios deinde viros
& religiosos adsciscit, eosque ad vivendi
normam evangelicis præceptis & consiliis
summoperè accomodatam, tum certis
legibus ex beati Benedicti institutis ma-
gnâ ex parte desumptis, tum verbo &
sanctissimæ vitæ exemplis, informat.

℞. Amavit eum Dominus & ornavit
eum: stolam gloriæ induit eum: * Et ad
portas paradisi coronavit eum. *℣.* Induit
eum Dominus lorice fidei, & ornavit
eum. * Et.

Lectio VI.

ALIIUS deinde monasteriis erectis, cla-
rior in dies Gulielmi, facta sanctitas,
multos ad eum undique viros perducit,
sanctitatis odore & miraculorum famâ
allectos. Nam muti loquelam, surdi
auditum, aridi vigorem, varioque & im-
medicabili morbo laborantes sanitatem
ipsius intercessionem receperunt. Aquam
in vinum convertit, aliaque complura mi-
rabilia patravit: inter quæ illud non si-
lendum, quod, mulierculâ ad ejus castita-
tem tentandam missâ, in ardentibus pru-
nis humi stratis, illæsum se volutavit: de
quâ re certior factus Rogerius Neapolis
Rex, inde in summam viri Dei venera-
tionem adducitur. Demùm, tempore sui
obitus rege aliisque prænuntiato, in-
numeris virtutibus & miraculis clarus, ob-
dormivit in Domino, anno salutis mille-
simo centesimo quadragesimo secundo.

℞. Iste homo perfecit omnia quæ lo-
cutus est ei Deus, & dixit ad eum: In-
gredere in requiem meam; * Quia te vidi

justum coram me ex omnibus gentibus.
r. Iste est, qui contempsit vitam mundi,
 & pervenit ad caelestia regna. * Quia.
 Gloria Patri. * Quia.

*In III. Noct. Homil. S. Hieron. Presbyt.
 in Evang. Ecce nos reliquimus omnia,
 pro Abbatibus.*

*Vesp. à Capitulo de SS. Martyr. Joanne
 & Paulo.*

DIE XVII. JULII.

In Festo S. ALEXII Conf.—Semid.

*Oratio sequens ex Breviario Romano
 Lugdini edito ann. 1758 excerpta, potest
 recitari convenientius quam ea quæ vulgò
 desumitur ex Communi.*

ORATIO.

DEUS, qui beatum Alexium Confesso-
 rem tuum in mundi contemptu mi-
 rabilem effecisti; præsta, quæsumus, ut
 intercessionis ejus auxilio fideles tui ter-
 rena despiciant & ad caelestia semper
 aspirent. Per Dominum.

DIE XV. AUGUSTI.

*Officium Assumptionis B. M. V. fit ut
 in Breviario & Missa celebratur ut in
 Missali, sub ritu I. Classis cum Octavâ.
 At si ista xv. dies Augusti non sit Domi-
 nica, tunc ex Indulto diei 13 Martii 1819,
 etsi in Dominicâ infrâ Octavam recitetur
 Officium S. Joachim vel diei Octavæ S.
 Laurentii, Missæque privatae cum alter-
 utro Officio concordent, tamen in quâlibet
 ecclesiâ, Missa sollemnis seu principalis
 dicitur de Assumptione B. M. V. cum
 Commemor. tum Officii illius diei, tum
 Dominicæ occurrentis cum Evangelio
 ejusdem Domin. in fine Missæ. Similiter*

*Vesperæ solennes in Choro dicuntur de
 eodem Festo Assumptionis, cum iisdem
 Commemorationibus.*

DIE XXV. AUGUSTI.

*In Festo S. Ludovici, lectiones I. Noc-
 turni dicuntur de libro Ecclesiastici, Bea-
 tus vir, &c. ut in Communi Conf. non
 Pontif. Secundo loco,*

MENSE OCTOBRI.

*In Festo B. V. M. de Victoriâ, de quo
 in Calendario suprascripto mentio habita
 est, Officium & Missa eadem sunt, ac in
 Festo S. S. Nominis B. V. M. Exceptis
 quæ sequuntur. In Antiphonâ ad Magni-
 ficat, I. Vesperarum ac in VII. Responsorio
 Matutini, dicitur tuam sanctam Festivi-
 tatem. In oratione omittitur Nominè &
 Lectiones II. Noct. sumuntur de die Octa-
 vâ Nativitatis B. V. M. Hilarem video &c.
 Lectiones III. Noct. de Officio S. Rosarii.
 Comm. Domin. occurr. in utrisque Vesp.
 & Laudibus, de quâ dicitur etiam IX lec-
 tio. Ad Missam, Evang. Loquente Jesu.*

MENSE NOVEMBRI.

*Etsi de S. S. Patronis sive Titularibus
 ecclesiarum parochialium fiat Officium
 sub Ritu Dupl. I. Classis cum Octavâ,
 prout respectivè in anno occurrunt, de iis
 tamen, juxtâ Edictum Episcopale diei 22
 Decembris 1810, exceptis quatuor in dicto
 Edicto memoratis, nulla fit solemnitas in
 populo nisi Dominicâ primâ post Festum
 Omnium Sanctorum. Eâ porrò Dominicâ,
 in omnibus Ecclesiis Parochialibus, in
 Indulto Apostolico mensis Februarii 1810,
 Missa sollemnis cantatur de S. Patrono
 seu Titulari ecclesiæ cum Commemora-*

tionem Festi occurrentis (si adsit aliquod) & Dominicæ. Vesperæ dicuntur de Officio occurrente cum Commemoratione S. Patroni seu Titularis ante omnes alias commemoraciones.

DIE III. DECEMBRIS.

In Festo S. Francisci Xaverii, lectiones

I. Nocturni sumuntur de libro Ecclesiastici, Beatus vir, ut in Communi Conf. non Pont. 2º loco,

DIE VII. DECEMBRIS.

Ad I. Vesp. Conceptionis B. V. M. nulla fit commemor. S. Ambrosii.

**QUÆDAM EXCERPTA E DECRETIS SACRÆ RITUUM
CONGREGATIONIS.**

1. Genuflectendum est semper ab omnibus transeuntibus ante SS. Sacramentum, etiam dum fiunt Processiones per Ecclesiam & contraria consuetudo declaratur abusus. — 14 Decemb. 1602.

2. Decretum de die 11 Junii 1605, quod cæremoniæ liber non tollat laudabiles & immemorabiles consuetudines, habet locum in omnibus regnis & locis Christianitatis. — 17 Junii 1606.

3. Cæremoniæ novæ non inducendæ, nec antiquæ immutandæ, absque expressâ licentiâ, quam dare debet S. R. C. — 12 Maii 1612.

4. In primis Vesperis communibus diei Octavæ & Dominicæ privilegiatæ, Vesperæ debent recitari cum Psalmis Sabbati, & à Capitulo de Dominicâ privilegiatâ, addendo in fine commemoratiõnem diei Octavæ. — 9 Nov. 1622.

5. Si Festum SS. Apostolorum Philippi & Jacobi, vel Inventionis S. Crucis, aut S. Joannis ante Portam Latinam, occurrerit infra Octavam Ascensionis, Præfatio in Missa erit de Apostolis vel de Cruce, sed Communicantes, de Ascensione. — 18 Augusti 1627.

6. In diebus quibus non potest fieri de Festo duplici, prohibentur Missæ Votivæ, & de Requiem. — 28 Augusti 1627.

7. In nocte Nativitatis Domini, post cantatam primam Missam, nullo modo possunt aliæ duæ immediatè celebrari. — 20 Aprilis 1641.

8. In Missis Ferialibus quæ contingunt à Dominicâ Passionis ad Feriam V. Censæ Domini, si faciendâ obveniat Commemoratio de Simplici, omittenda est tertio oratio, quæ pro secundâ assignatur in Missali, nempe pro Ecclesiâ, vel pro Papâ. 22 Nov. 1659. Idem observandum est infra Octavas Paschæ et Pentecostes.

9. Symbolum in Missa solemnî potest decantari in illâ Ecclesiâ, ubi est Altare erectum sub invocatione alicujus Sancti, ratione concursus, ad præscriptum Rubricarum, licet de eo fiat Officium sub Ritu semiduplici, ut pro Festo S. Antonii de Padua declaravit S. R. C. — 1 Aprilis 1661.

10. In die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, Sacrificia possunt à Sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus Fidelibus Defunctis, vel pro aliquibus tantum. — 4 Augusti 1668.

11. Si Festum simplex occurrit eo die, quo fit de Festo duplici, infra Octavam Corporis Christi, tunc legitur 9 lectio de eodem Festo simplici. — 12 Septemb. 1671.

168. Occurrente Festo Purificationis B. M. Virgin. Dominicis Septuagesimæ, vel similibus aliis privilegiatis, ita ut illius Officium ex hoc contingat transferri, non est ob id protrahenda etiã recitatio Antiphonæ *Alma Redemptoris*. Sed die 2. Februarii post Completorium, illa dimissã, sumenda est Antiphona *Ave Regina Cælorum*, sublato quolibet asserto difformi quarumcumque Ecclesiarum usu, sive consuetudine, ita ab omnibus, qui Romano Breviario utuntur, passim servari mandavit S. R. C. 11. *Januarii* 1681.

13. Officium Angelorum Custodum occurrens cum alio Duplici minori, debet habere integras Vesperas. 1. *Martii* 1681.

14. Decisum jam fuit (tempore 30 Sept. 1679,) quod de Festo translato faciendum sit Officium die immediatè sequenti, non impeditur, etiamsi adsit aliud ejusdem dignitatis Festum prius translatum; non tamen idem intelligendum est, si adsit aliud Festum, seu Officium majoris Ritûs prius translatum. — 1. *Martii* 1681.

15. In Missis Votivis privatis, de SS. Sacramento, & de Officio duplici quæ celebrantur in Ecclesiis, ubi adest SS. Sacramentum expositum occasione quadraginta horarum, non dicitur *Credo*, nisi aliter competat Missæ Officii duplici de die. — 2. *Decembris* 1684.

16. In Missâ privatâ de Sancto duplici, vel semiduplici, de quo tali die sit Officium, potest quidem fieri Commemoratio de SS. Sacramento exposito occasione Quadraginta horarum, sed omittenda in Festis primæ & secundæ Classis. 2. *Dec.* 1684.

17. Occurrente eadem die Festo novem Lectionum Kalendarii particularis cum altero festo Kalendarii universalis, quæ tamen sint ejusdem Ritûs, prius recitari

debet de Festo Kalendarii particularis, & postea universalis. — 22. *Januarii* 1689.

18. Non licet aliquid ex devotione, seu autoritate, privatâ miscere, mutare, vel apponere inter ea, quæ integrant Officia cujusvis diei, quia in Officiis Sanctorum nihil est addendum, vel immutandum, nisi à S. Sede Apostolicâ concessum fuerit. — 10. *Junii* 1690.

19. In Missâ Patroni minùs principalis non debet dici *Credo*. S. R. C. 2. *Dec.* 1684, in *Beneventana*, & 15. *Septembris* 1691, in *Licien*, in quâ declaratum fuit, particulam *Patroni* intelligendam esse de Patrono principali tantum, nec extendi posse ad minùs principales; & ideo in horum Missâ non esse dicendum Symbolum.

20. Evangelium pro solemnî benedictione Palmarum à Sacerdote celebrante absque Diacono & Subdiacono, canendum est in cornu Epistolæ. — 27. *Aprilis* 1697.

21. In Depositione Defunctorum in verbis illis: *Non intres in iudicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo*; quando est mulier, aut plures sunt defuncti, non possunt verba *servo tuo*, immutari in *servâ tuâ* vel *servis tuis* absque Sacræ Rubricæ læsione, & servandum est Rituale. — 31. *Augusti* 1697.

22. In Expositione, & Repositione SS. Sacramenti non est addendum *Alleluia* ad Versiculum *Panem de Cælo* &c. (5. *Junii* 1698) Hæc resolutio non est intelligenda de tempore Paschali, nec de diebus infra Octavam Corporis Christi.

23. In Festis SS. Martyrum, Confessorum & Virginum, quæ celebrantur sub Ritu duplici majori non est dicendum Symbolum in Missâ, sed servantur Rubricæ generales Missalis Romani, cap. XI. de Symbolo. — 19. *Junii* 1700.

24. In Sacrificio Missæ non est adhibenda Palla à parte superiori drappo serico cooperta. — *Jan. 1701.*

25. Lectiones primi Nocturni de Exodo; quæ leguntur in Dominicâ IV. Quadragesimæ, quoties ita sit impedita aliquo Festo primæ Classis, reassumendæ sunt intra illam Hebdomadam in Festo occurrente lectionibus propriis primi Nocturni quæ desumerentur de Scripturâ occurrente, si Festum illud extra Quadragesimam incidisset. — *26 Novembris 1731.*

26. In Dominicâ in Albis potest legi nona Lectio de simplici Festo occurrente, ut accidit anno 1735, de Sancto Aniceto. — *5 Maii 1736.*

27. Quando in primis Vesperis S. Hermenegildi Martyris, Hymnus proprius non fuerit recitatus, ponendus est in Matutino, & Hymnus Matutini substituendus est in Laudibus. — *5 Maii 1736.* — Habemus similem ritum in officio S. Martinæ die 30 Januarii, in quo, si, ad primas Vesperas recitatus non fuerit hymnus proprius, hic conjungitur & fit unus cum hymno Matutini.

28. Ab orationibus expungenda sunt cognomina & patriæ Sanctorum. — *23 Junii 1736.*

29. Dùm Missa cantatur coram SS. Sacramento in Altari exposito, debet fieri commemoratio de eodem SS. Sacramento post omnes alias commemorationes de præcepto, & in Missis solemnibus tantùm Festorum primæ & secundæ Classis est faciendâ sub unica conclusione. — *23 Junii 1736.*

30. Quando dies octava Nativitatis B. Mariæ incidit in Dominicâ, in quâ celebrari debet festum SS. Nominis ejusdem, nulla fit commemoratio Nativitatis. — *23 Junii 1736.*

31. Quando occurrit Vigilia aut FERIA Quatuor Temporum infra Octav. Conceptionis B. M. V. debet recitari Officium de die infra Octavam. Missæ autem, sive cantentur, sive legantur, sint de FERIA Quatuor Temporum cum secundâ Oratione de Octavâ & tertiâ de Spiritu Sancto; quæ semper dicitur infra Octavas B. M. V. juxta Titul. 9. de Orationibus n. 7) & 9. nam Oratio, quæ ibi præscribitur dicenda secundo loco, ponitur tertio loco. — *23 Junii 1736.*

32. Privata Officii defunctorum recitatio pro generali illorum commemoratione absolvi licite potest post vespertinas horas Festi omnium Sanctorum; in Choro autem adimplenda est mane die secundâ Novembris: nisi ut populi commodiùs & frequentiùs illis interesse possint, contra-ria jam faceret consuetudo. *4 Sept. 1745.*

33. In die obitus vel depositionis alicujus defuncti Sacerdotis, dici poterit vel Missa prima, quæ est pro Episcopis assignata, ut in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, vel ea quæ est secundo loco posita, quæ est in die obitus, seu depositionis, dummodò oratio pro eo designata: *Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, &c.* omnino adhibeatur. Similiter agendum erit in anniversario pro Sacerdote defuncto. — *29 Januarii 1752.*

34. Missæ privatæ de *Requiem* etiam corpore præsentæ, & insepulto dici non possunt diebus quibus fit de Officio duplici etiam minori, vel aliis à rubricâ exceptis, & quæcumque consuetudo in contrarium abusus esse declaratur; Missa tamen unica solemniter insepulto corpore celebrari poterit etiam in Dominicis & Festis diebus, non tamen solemnioribus primæ Classis. — *29 Januarii 1752.*

ut Feria
Concep-
tium de
em, sive
e Feria
la Ora-
tu Sanc-
tas Ba-
ous n. 7)
ribitur
tio loco
recitatio
ratione
nas ho-
Choro
ecundâ
dius &
contra-
1745.
alicu-
rit) vel
is assi-
nium
est se-
obitus,
pro eo
cos Sa-
Simili-
ro Sa-
752.
etiam
i non
io du-
câ ex-
a con-
Missa
rpore
Fes-
s pri-

